

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica misericordias domini

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Quando proinde Ecclesiastes clave ligante utitur, & dicit ad avarum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, Act. 8. v. 20. Ad fornicatorem & adulterum: Deus judicabit te, Hebr. 13. v. 4. Ad ebriosum: Væ, qui confurgitis manè ad ebrietatem sectandam, Esa. 5. v. 11. seqq. & ita ulterius: non id vilipendendum est; in leges enim divinas impiè agere, impunè non cedit: sed hoc tempus sequens declarabit, 2. Macc. 4. v. 17.

Quando verò clavem solventem adhibet, & pœnitentem ex verbo divino salutare solatio erigit & certiozem reddit, quod cum publicano justificatus in domum suam descendere possit, Luc. 18. 14. iterum consolationem hanc non aliter suscipiant, ac si Christus ipse eandem annunciasset, & aperiant corda, sicut terra venientem super se bibit imbrem, Hebr. 6. v. 7.

& exultabunt ossa contrita, Psal. 51. v. 9. quæ quasi leo Dominus contriverat, Esa. 38. v. 13.

Beati, qui potestati huic Ecclesiastica se reverenter subjiciunt. Non enim DEUS, ut Lutherus ait, alias claves in cælo habet, quàm Ministri ejus in terris, sed quod solvunt illi, Deus quoque soluturus est, non ligans: & quod ligant, Deus quoque ligaturus est, non solvens. Qui igitur eos contemnit, non homines contemnit, sed Deum ipsum, pro quo legatione funguntur, 2. Cor. 5. v. 20. Unde verbi Ministerium expressè Ministerium Spiritus dicitur, 2. Cor. 3. v. 6. Durum aliquando erit contemptoribus, adversus stimulum calcitrare, Act. 9. v. 6. Det Deus nobis omnibus pœnitentiam & remissionem peccatorum, & consequenter salutem æternam, per Christum JESUM, Amen.

DOMINICA MISERICORDIAS DOMINI.

Evangelium Joh. 10. v. 11, -- 16.

EXORDIUM.

Gen. 46. 34. **D**E Ægyptiis memoratur, quod detestati fuerint omnes Pastores ovium. Causa non additur, verosimile autem est, ideò factum esse, quia Pastores pecora quædam mactarunt, ejus carnes comedentes, quæ Ægyptii pro Diis habuerunt, & coluerunt. Cum enim Pharao Israëlitis potestatem daret, ut in terrâ Ægyptiorum Deo suo sacrificarent, respondit Moses: Non potest ita

fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro: quod si mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii coràm eis, lapidibus nos obruent, Exod. 8. v. 26.

Nos Christiani Dei gratiâ melius informati, ex verbo Dei novimus, Pastores in bonâ existimatione esse, modò intra cancellos manserint, & fidelem gregis sui curam, habuerint, ideò Christus ipse ἀρχιερεύς

ἐστίν

J. J.

Exegesis.

μὴν καὶ Ἐπίσκοπον τῶν ψυχῶν ἡμῶν appellatur, 1. Petr. 2. v. ult. 1. Petr. 5. v. 4. Et hic Archiepiscopus habet Sub-Pastores suos, quales in Politia sunt pii Magistratus, Esa. 44. v. ult. in Ecclesiâ fideles verbi Præcones, Eph. 4. v. 11. quos Spiritus sanctus posuit Episcopus, ad pascendam Ecclesiam Dei, Act. 20. v. 28. sicuti propterea duas virgas gerunt, quarum altera vocatur amabilis, altera doloris, Zach. 11. v. 7. Hæc magna Dei gratia est. Quia enim omnes naturâ quasi oves erramus, Esa. 53. v. 6. maximoperè ejusmodi Pastoribus indigemus, qui nos præcedant in Ecclesiastico & Politico statu, quò utrinque debitum nostrum observemus, & in rectâ via maneamus, quæ ducit ad vitam, Matt. 7. v. 14. Hinc præsens Dominica appellatur *Misericordias Domini*, quia in præscâ Latinâ Ecclesiâ in Introitu cecinerunt ex Psal. 89. v. 1. Misericordias Domini cantabo in æternum. Quo ipso pii Veteres haud dubiè respexerunt prælectum Evangelium, in quo concurrunt, *Miseria & Misericordia*. Miseria nostra in eo, quod imbecilles, miseræ & infirmæ oviculæ simus, quæ non sufficientes sumus ex nobis ipsis, 2. Cor. 3. v. 5. Misericordia Dei vero in eo, quod Filium suum dilectum Pastorem constituit, qui ipse in Evangelio ait: Ἐγὼ εἶμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, bonus pastor animam suam ponit pro ovibus, & quæ sequuntur.

Nos meditabimur pro instituti ratione ex Evangelio præsentē

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

Quia ex causa pii veteres Evangelium de bono Pastore hoc anni tempore explicandum ordinarint, patet ex Epistola ad Hebr. ubi Paulus inquit: Deus pacis eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, Hebr. 13. v. 20.

Quia igitur Christus tanquam bonus Pastor non modò animam suam pro ovibus posuit: sed & rursum ex mortuis surrexit, tanquam ejusmodi Pastor, qui gregis sui, quem adeò pretiosè emit, Act. 20. v. 28. ipse curam habere, eamque tueri & sustentare velit, ut apud se vitam habeat, & abundantius habeat, Joh. 10. v. 11. utique de tempore est, & optimè quadrat, ut statim post Paschatos Festum, de amplissimis hisce beneficiis prædicetur. Hoc enim modo memores sumus, Dominum Jesum Christum surrexisse ex mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & surrexit propter justificationem nostram, Rom. 4. v. ult. 2. Tim. 2. v. 8.

Querelam movet

1. *Infernalis lupo*. Hic ipse Diabolus est, qui modò sub imagine leonis, 1. Petr. 5. v. 8. modò sub imagine Draconis, Apoc. 12. v. 8. modò sub imagine venatoris, Psal. 91. v. 3. modò alio modo nobis delineatur. In prælecto Evangelio Servator ipse lupo eum confert. Quemadmodum enim lupo ovibus maximè infestus est, & die nocteque iisdem insidiatur, ut easprehendat, & dilaniet: Ita & Diabolus omnium fide-

fidelium inimicus infensissimus est, & ubi illis incommodare potest, nullo non studio uritur. Coram eo enim gaudet mœror, Job. 41. v. 13.

Quando lupus septa ingreditur, non modò unam atque alteram oviculam: sed omnes, nisi prohibeatur jûgulat. Ita non dubium est, si Deus Dæmoni id permitteret, quin in momento nobis omnibus vitam eriperet. Idèò summa cautione opus erit.

In Italiâ lupi inveniri dicuntur, qui oculis venenatis præditi, si hominem prius conspexerint, ei vocem intercludunt, & raucum efficiunt: quò collineavit Virgilius, canens:

Vox quoque Mœris
Jam fugit ipsa, lupi Mœris videre
prios.

Ejusmodi venenatus lupus Diabolus est, quem nisi providè antevertamus seriâ pœnitentiâ & devotâ precatione, facilè truculentiam suam exerit, & hic in tempore efficit, ut homo fidei naufragium faciat, & deindè rationem redditurus obmutescere in judicio Dei cogatur, Matth. 22. v. 12.

Drusus Germanicus Imperatoris Augusti privignus, plurima mala Germanis intulit, iisque tantum terrorem incussit, ut & nomen ejus exhorruerint, unde Germanicum Proverbiū enatum: *Das dich die Druse ankomme*, ut Zeilerus refert.

Verùm Diabolus hostis multò terribior est, cum movere se, terrentur fortes, Hiob. 41. vers. 16. idèò non invitemus ipsum, ut multorum impius mos est, sed nomen ejus exhortescentes cum Ecclesiâ canamus:

Sür dem Teuffel uns betwahr
Halt uns bey festem Glauben
Und auff dich laß uns bauen.

Resistite Diabolo, & fugiet à vobis, Jac. 4. v. 7. 8.

II. *Mercenariorum cætus.* De his Servator conqueritur, inquiens: Mercenarius autem & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit.

Hoc ipso autem nomine non improbat, si verbi Minister salarium suum respiciat, & efflagitet. Dignus siquidem est operarius mercede suâ, Luc. 10. v. 7. 1. Cor. 9. v. 11. 13. Sed mercenariorum nomine illi denotantur, qui pretio parochiam sibi coëmunt, & licet ad sanctum hoc munus idonei sint, tamen per sanctum denarium sese ingerunt, & in vitis ovibus præponunt, velut Menelaus, 2. Macc. 4. v. 24. Meritò hoc culpatur. Pascite gregem Christi, nõ coactè, sed spontaneè & c. 1. Pet. 5. 2. seq.

Mercenarii quoq; sunt, qui compendii sui causa de unâ parochiâ ad aliam migrant, non habitâ ratione Auditorum suorum; licet enim non omninò improbandum sit, si quis per legitimam vocationem aliorum abeat, ubi dona à Deo commissa melius collocare potest, ubi illud Jer. 1. v. 7. locum habet: Major tamen Ecclesiæ, quàm utilitatis propriæ ratio habenda est, cætera Deo commendati debent, ipse faciet, Psal. 37. v. 5.

Mercenarii itidem sunt, qui in Ministerio constituti medicinam, vel cauponariam exercent, vel alii turpi lucro dediti sunt, 1. Tim. 3. v. 3. vel planè in lupos degenerant, simpliciores conturbantes, Galat. 5. v. 12. per dulces sermones & assentationes,

riones, Rom. 16. v. 18. dum Deum Maozim venerantur, Dan. 11. v. 38. & cum Babel impiè colludunt, & participes fiunt delictorum ejus, quare de plagis quoque ejus accipient, Apoc. 18. v. 4.

Gratias Deo agite, Dilecti! quod ejusmodi præcones vobis dederit, qui pro animabus vestris pervigilant, Hebr. 13. v. 17. nec visionem cordis sui loquuntur, sed sermonem Dei, Jer. 23. v. 16. Hominum enim os loquitur vanitatem. Psal. 144. v. 8. Qui verò Dei verbo confidit, nunquam confundetur. Est enim potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.

III. *Dispar ovium genus.* Sic enim Servator: Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili. Per has gentiles intelliguntur, qui alienati erant à Republicâ Israel, Eph. 2. v. 12. vocabanturque lo ammi, Os. 1. v. ult. Deus enim semen Abraham modò sibi in peculium elegerat, reliquæ gentes omnes erant Goim sive gentes, quæ ad hoc ovile non pertinebant, ideoque spem salutis non habebant, Eph. 2. v. 12. Hæc enim vita æterna est, ut cognoscant &c. Joh. 17. v. 3. ex quo ex adverso consequitur, quod illi, qui Filium ejus non agnoscunt, vitam non habeant, sed ira Dei maneat super illos, Joh. 3. v. 36.

Ad has alias oves nos quoque antè octo vel novem secula pertinimus, ubi Majores nostri tenebroso Gentilismo immerfi, nullam veram Dei agnitionem habuerunt, sed mutaverunt gloriam ejus in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentium, Rom. 1. v. 23.

Verùm Deo æterno sit gratia, cœlestis Archiepiscopus, Servator noster pientissimi-

mus, gratiosè nos respexit, & à tenebroso mortis, & æternæ damnationis stabulo, eduxit, & ad gregem electatum ovicularum perduxit, ut sumus genus electum, regale Sacerdotium &c. 1. Petr. 2. v. ult.

Caveamus igitur peccata, nec committicemus operibus infructuosis tenebrarum, Eph. 5. v. 11. alias beneficium hoc perdimus, & à grege Christi declinamus ad stabulum æternarum tenebrarum, ex quo Christus nos redemit: Qui enim facit peccatum, ex Diabolo est, 1. Joh. 3. v. 8. partemque suam cum Diabolo inveniet in stagno ardente sulphure & igne, quæ mors est secunda, Apoc. 21. v. 8.

Oviculas Christus requirit, non canes mordaces, qui invidiâ & rixis laborant, talem enim consuetudinem non habet Ecclesia Dei, 1. Cor. 11. v. 16.

Oviculas, non feles versipelles. In Christo enim Jesu veritas, Eph. 4. v. 21.

Oviculas, non porcos lutosos, qui loti in volutabro luti volvuntur, 2. Petr. 2. v. ult. sed postquam Christi participes effecti sunt, initium substantiæ, usque ad finem firmum retinent, Hebr. 3. v. 14.

Oviculas, non hædos lascivientes, & fœrentes, Matth. 23. v. 33. & ἀράκτους ambulantes, 2. Thess. 3. v. 6. secundum concupiscentiam cordis sui, non Dei verbum, Sir. 5. v. 2.

Oviculas, non equos & mulos, quibus non est intellectus, Psal. 32. v. 10. sed qui probant potiora, Phil. 1. v. 10. & contendunt intrare per angustam portam, Luc. 13. v. 24. *Oviculas, o pavones supbieantes, et.*

Luceat igitur lux vestra coram hominibus, Matth. 5. v. 16. Non enim omnes qui dicunt Domine Domine &c. Matt. 7. v. 21.

set, misit Legatos ad fratrem ejus Simonem, dicens, ut mitteret sibi argenti talenta centum, & duos filios ejus obfides, & dimissurum se illum promisit. Id fecit Simon, sed Tryphon fefellit fidem, & accepto argento, Jonathanem cum filiis suis trucidari jussit, 1. Maccab. 13. vers. 16. & seqq.

Hic non aurum & argentum requisitum fuit, sed ut liberaremur, Christum vitam suam profundere oportuit. Hinc Petrus: Scitote, quod non corruptilibus auro & argento redempti estis, 1. Petr. 1. v. 18.

Alias aurum & argentum in magno pretio sunt:

- - - Plurimus auro venit honos.
Auro pulsa fides: auro venalia jura
Aurum lex sequitur.

Sed coram Deo aurum & argentum tantum non valet, ut unicum peccatum expiare, aut ex Diaboli laqueis quenquam redimere & salutem cuiquam comparare possit. Oculi enim ejus non aurum & argentum, quod jam tum ejus est, Hagg. 2. v. 9. sed fidem respiciunt, Jer. 5. v. 3. quæ Christi merito nititur.

Sicut igitur Bernhardus ait: *Ex remedii pretio morbi potest estimari periculum*: ita nos quoque perpendamus, in quantis miseriis & animæ periculo versati fuerimus, quia Christus vitam suam pro nobis dedit, usque dum nos in libertatem asseruit. Quod hoc in nobis efficere debet, ut cautius mercari discentes, caveamus, ne aliquando peccato consentiamus, &

prætermittamus præcepta Domini Dei nostri, Tob. 4. v. 6.

III. *Ex securitatis stabulo*. Id Ecclesia est, de quâ ipse in Evangelio: Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere; & vocem meam audient.

Quando oves in ovili sunt, non modo secuti degunt à vehementibus nimbis, & aliis tempestatibus: sed & à lupis, ut non facile irumpere & damnum facere possint. Ita quidem Ecclesia non omnino à lupis pura est, Matth. 10. v. 16. inveniuntur enim in eâ lupi graves, non parentes gregi, Act. 20. v. 29. Verùm quando ovicula pastori suo unice adhæret, ejusque vocem audit, nullum periculum subest, licet terra loco suo moveretur, & montes in medium mare præcipitentur &c. Deus in medio ejus, non commovebitur, Psal. 46. v. 3. seqq. & non est dubium quin semen suum Deus conservaturus sit, Psal. 22. vers. 31. & hostes prohibitus, ne ovile turbent, ipse enim munus ignitus est in circuitu ejus, Zach. 2. v. 5. & inspectio in electis ejus est, quos non patietur sibi eripi, Sap. 3. v. 9. sed custodiet ut pupillam oculi, Psal. 17. v. 8. donec tandem transferet eos ex ovili hoc in Hierosolymam cælestem, ubi non amplius esurient, neque sitient &c. Apocal. 7. vers. ult.

De Tertio.

Restat *Caute*la, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

kk 2

1. Pa-

1. Pastorem dilige. Ed collineat Christus, dicens: Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Per hanc notitiam, juxta indolem linguæ Græcæ, simul exprimitur affectus & effectus paternus, ubi non modò theoreticè sed & practicè suos cognoscit.

Sicut igitur Christus oviculas suas cognoscit, h. e. diligit, alit, & defendit: Ita nostri quoque officii erit, ut noscamus eum, non modò ratione personæ, quod sit verus Deus à Patre ab æterno genitus, & verus homo, ex Mariâ virgine in tempore natus: sed & ratione officii, quod beneficia concernit, quæ nobis acquisivit, ubi nos invicem alloquamur oportet: Diligamus eum, quia prior dilexit nos, 1. Joh. 4. v. 19.

Fiat hoc

1. Cordialiter, super omnia, quæ in mundo sunt, juxta illud: *Bar meitu/oder laß seyn. Qui non mecum est, contra me est,* Luc. 11. v. 23.

Coràm Salomone apparuerunt aliquando duæ meretrices afferentes infantem vivum & mortuum. Altera enim puerum suum in somno oppresserat. Utraque vivum infantem desideravit. Salomò quòd litem hanc dirimeret gladium affertur jussit, eo vivum infantem divisurus, & cuilibet partem daturus. Id verò germana mater prohibuit, & alteri infantem vivum dari voluit. Ex quo Salomò hanc genuinam pueri matrem esse, intellexit, 1. Reg. 3. v. 16. & seqq.

Id non incommodè ad Christum applicare possumus, qui animo & affectu verè paterno nos prosequitur, sicuti propter eà Pater æternitatis dicitur, Esa. 9. v. 7. ideò nullos divisores tolerare vult, qui

utrinque claudicant, amicitia enim hujus mundi inimicitia est Dei: quicumque voluerit ergò amicus seculi hujus esse, inimicus Dei constituetur. Jac. 4. v. 4.

2. Totaliter. Nihil enim à nobis ipsis habemus, sed gratiâ Dei sumus, quod sumus, 1. Cor. 15. v. 10. ideoque omnia ad Ministerium ejus adhibere, & membra nostra arma justitiæ constituere debemus, Rom. 6. v. 13. ut sanctimoniam sequamur, sine quâ nemo videbit Dominum, Hebr. 12. v. 14. 1. Joh. 5. v. 3.

3. Finaliter. Ne tempore necessitatis à Christo nos subducamus, sed in prosperis & adversis, vitâ & morte cum eo perseveremus.

Uxor Lothi exivit quidem Sodomis, erepta ex exitioso igne, & pluvîâ sulphureâ. Sed quid profuit ipsi? Nihil omninò. E desiderio enim terrenorum, contra interdictum Dei respiciens, in statuam salis mutata est, Gen. 19. v. 26.

Cave, ne & tu respicias! Danielem lacus leonum, Dan. 6. v. 23. tres viros socios ejus fornax ardens, Dan. 3. v. 22. Tobiam cæcitas & pauperies, Tob. 2. v. 13. Jobum malorum sentina, Job. 2. v. 20. Apostolos flagella & minæ Pontificum à dilectione Dei avertere non potuerunt, Act. 5. v. 41. hæc exempla tu quoque imitare, & mane Servatori tuo fidelis usque ad mortem, & dabit tibi coronam vitæ, Apoc. 2. v. 11. teque ceu oviculam suam carissimam à dextris sistet, ubi audies vocem amabilem: Venite benedicti, Patris mei, Matth. 25. v. 34.

Diligamus igitur Christum Pastorem nostrum, & vicissim ille diliget nos, tantaq; fide

fide prosequetur, ut non destituamur omni bono, Psal. 34.

Alias ira affecti sumus, ut vitam nostram super omnia amemus, juxta illud, Iob. 2. v. 4. verum dilectio Christi & fiducia in misericordia ejus super vitas melior est, Psal. 63. v. 4. ipse enim resurrectio est & vita, Ioh. 11. v. 26. & promisit, quod omnes, qui credunt in se, non perituri, sed habituri sint vitam æternam, Ioh. 3. v. 15. Firmiter itaque adhærescamus ei, vita enim temporalis abruptitur demum ut filium textoris, Esa. 38. 12. verum ubi pervenerimus in vitam æternam, nunquam moriemur, Ioh. 11. v. 16. sed cum Christo semper erimus, 1. Theff. 4. v. ult.

Artibus & scientiis delectamur: Arte enim periti ubi vis terrarum honorantur iisque dicitur: Amice ascende, Luc. 14. v. 10. confer Iac. 2. v. 3. Verum Christum diligere, supereminens scientia est, Eph. 3. v. 19. est enim Doctor eruditæ linguæ, Esa. 59. vers. 19. à quo habemus artem orandi, Matth. 6. v. 10. artem patiendi, 1. Petr. 2. v. 21. artem moriendi, Luc. 23. v. 46. in ipso enim omnes sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi, Col. 2. v. 3. ideo multo magis eum diligere convenit. Ars enim & sapientia à morte non præservat, secus enim Regam omnium quot fuerunt, quotque futuri sunt, sapientissimus non mortuus esset, 1. Reg. 3. v. 12. sed qui sermonem Christi servaverit, mortem non videbit in æternum, Ioh. 8. v. 51.

Nos aurum & argentum, & quæ plura in mundo magni fiunt, diligimus: Verum Christum diligere optima possessio est, hinc Assaph: Quid enim mihi est in cælo. Psal. 73. 25. *Quam sicut, bonum aliorum*

II. Oves sequere. In prælecta Pericope audimus, quod oviculæ Christi nobis describantur

Primo, quod seip sas agnoscant, quod sint sicut oves errantes, quæ perierunt, Psal. 119. v. ult. quod mortuæ sint in peccatis, Eph. 2. 1. quod sub potestate tenebrarum sint, Col. 1. 13. Quia enim ovis animal simplicissimum & infirmissimum est, ideo sub imagine ejus Christus intimam naturæ nostræ corruptionem adumbrare voluit, ut eam penitus inspiciamus, & cognoscamus, qui alias inani imaginatione decipimur, tanquam generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis, Prov. 30. 12 sicut Phariseus ille, Luc. 18. 11. cum tamen soli Christo omnis gloria debeat, qui nos sanguine mundavit suo, unde recte facimus, si cum Davide dicamus: Erravi sicut ovis quæ periit, quæ te servum tuum Psal. 119. v. ult.

Deinde quoque recordari debent, quales Dei gratia sint, nempe bonum pretiose acquisitum, quod Christus redemit, non auro & argento corruptibili: sed sanguine suo pretioso, 1. Petr. 1. 19. Act. 28. ideoque illud porro conservabit sibi, ut nemo de manu sua rapere illud possit, Ioh. 10. 29.

Tertio, ovicularum Christi est, ut vocem Pastoris sui audiant, qui enim semel gustavit, quam suavis est Dominus, Psal. 34. 9. is falsa doctrina non inescari se sinit, sed manet in pascuis salutiferis beatificæ veritatis, & subjecit se regimini Servatoris sui, licet ratione sapientiam ejus, cujus non est numerus, capere nequeat. Psal. 147. vers. 5. mirificat enim Sanctos suos, Psal. 4. vers. 4. & tamen sapientia & veritate sua omnia ita moderatur, ut DEUM diligentibus omnia

Psalmus 119. Hymni: ubi dicitur sicut Ioh. 1. 1. Iam quod dicitur k 3

nia in bonum cooperentur. Rom. 8. v. 28.

Quarid, oviculae Christi in ovili manent necesse est, ne velut hædi petulci septa transfiliant, & luporum præda exponantur. Impossibile enim est, eos qui semel illuminati sunt, Hebr. 6. 6. 2. Petr. 2. 20.

Quintid, oviculae Christi puræ sint oportet, ut abnegent impietatem & secularia desideria. Tit. 2. 12. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt, Matt. 5. 8.

Requirit Christus oviculas pacificas & patientes, ne vincantur à malo, sed vincant in bono malum, Rom. 12. v. ult. compatiantur Christo, ut glorificentur, Rom. 8. 17.

Requirit oviculas subinde balantes & clamantes, h. e. sine intermissione & ferventer orantes, juxta illud: Invoca me, in die tribulationis, Ps. 50, 15.

Requirit oviculas ruminantes, h. e. ea, quæ in concionibus audiverunt revolventes, & domi filiis acuentes, Deut. 6. 7.

Id si præstiterimus, de fide ejus & providentia fideli minime dubitandum nobis erit, deducit enim velut ovem Joseph, Psal. 80, 2. oculi ejus aperti sunt, super omnes vias filiorum hominum, Jer. 32, 19. & sicut pusillum & magnum ille fecit, ita æqualiter cura est illi de omnibus, Sap. 6, 8.

III. *Unitatem Ecclesia amplectere.* Hic audimus Christum dicentem: fiet unum ovile, & unus Pastor, eoq; certam nobis notã suppeditat, ex qua veram suam Ecclesiam in his terris optime dignoscere queamus.

1. *Respectu unici Regis*, qui Christus ipse est, de quo Ezechiel prædixit: Erit unus omnium Pastor. c. 37, 29.

Recte proinde facimus quod ei soli adhærescamus. Est enim unus Mediator DEI

& hominum, 1. Tim. 2. vers. 5. Nec in alto quoquam salus est, Actor. 4. vers. 12.

2. *Respectu unici gregis*, Christus enim medium parietem maceræ solvens, utraq; (Judæos & Gentiles) fecit unum, Eph. 2, 14. ut jam unanimes uno ore glorificent Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, Rom. 15, 6. superædificati sunt super unum fundamentum, nimirum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo, Eph. 2, 19. Habent unum baptisma, Eph. 4, 6. unum Spiritum, à quo tanquam membra illi reguntur, 1. Cor. 12, 6. unam metam sibi præfixam, ad quam currant, quæ salus est animarum, 1. Petr. 1, 9. eadem media, quibus eò perduntur, verbum & Sacramenta, Rom. 10, 18. habent idem præmium sibi paratum, quamvis gradus distincti sint. Alia claritas Solis, alia claritas lunæ, 1. Cor. 15. 41. Interea omnes unam societatem habebunt cum Patre & Filio, in uno cælorum Regno, 1. Joh. 1, 3. & satiabuntur, cum excitati fuerint imagine ejus, Ps. 17, 15.

Ceremoniæ quidem, ut Pontificii nobis objiciunt, in omnibus Ecclesiis nostris non omnino eadem sunt: Verum Dissonantiæ jejunii, non rumpit consonantiam fidei. Sufficit quod in doctrina & fide consensus sit, per hanc enim uni Pastori nostro adhærescimus, ut sic unus Pastor & unum ovile maneat. Quod si huic fundamento constanter innitiamur, portæ inferorum non prævaldebunt adversum nos, Matth. 16. v. 18.

Adjūvet id nos Deus per & propter Christum, Amen.

DO-